FRANCISCI GOMARI

ORATIO FVNEBRIS,

IN

Obitum nobilitate, doctrina & pietate, celeberrimi viri,

D. FRANCISCI IUNII,

Theologi eximij, ductoris ac Doctoris in Academia & Ecclesia Leydensi præstantissimi:

Habita à funere, in auditorio publico Academiæ Leydensis, die VII. *Kal. Novembris,* Anno cIↃ.IↃ.C.II.

Iesaias Cap. LVII. V.

Iustus perit & nemo homo reponit in animo: homines, inquam, benigni recipiuntur nemine advertente, ante aduentum ipsius mali recipi iustum.





LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Typographeîo Christophori Guyotij,
cIↃ.IↃ.C.II.

FRANCISCI GOMARI

ORATIO FVNEBRIS,

IN

Obitum nobilitate, doctrina & pietate, celeberrimi viri,

D. FRANCISCI IUNII,

Theologi eximij, ductoris ac doctoris in Academia & Ecclesia Leydensi præstantissimi:

Habita à funere, in auditorio publico Academiæ Leydensis, die VII.*Kal. Novembris,* Anno cIↃ.IↃ.C.II.



VAMVIS magnifice domine Rector, amplissimi hujus urbis Magistratus, Collegæ honorandi, nobilissima & doctissima auditorum corona: quamvis (inquam) ego nec ingenio, nec eruditione, nec eloquentia, cum ijs qui consederunt, sim comparandus; dabitis mihi tamen, uti spero, pro solita facilitate vestra, veniam, quòd ad dicendum, officij necessitate pertractus, accesserim. Quum enim redeamus à clarissimi, doctissimi atque optimi viri, domini doctoris Francisci Iunij, maximi hujus Academiæ ornamenti, funere, quod luctuosam nobis dicendi materiam suppeditat, non existimo quenquam vestrum, auditores humanissimi, valdè miraturum, quod hasce partes, pro tenuitate mea, consensu senatus Academiæ honorandi, in me susceperim. Nam si discipulus præceptorem, si affinis affinem, si collega collegam, revereri ac colere tenetur; ingratissimus sim, nisi præceptorem meum charissimum, affinem conjunctissimum, collegam humanissimum, hoc ultimo honore & amore fuerim prosecutus. Quum verò mihi de vita & morte illius videam, pro more disse-

rendum; priorem argumenti partem adeo accuratè & neruosè ipsemet pertractavit & expolivit; ut de Iunij vita, post Iunium, dicere, nihil fuerit aliud, quàm tabulis Apelleis manum apponere, &, post Homerum, Iliadem meditari. Quum enim anno Christi millesimo, quingentesimo, nonagesimo primo, per Belgium in Galliam, regis mandato, esset rediturus, omnem vitæ suæ, inde à maioribus & ineunte ætate, rationem Francofurti in nundinis, non ambitione abreptum, sed prudenti liberorum amore & cura ductum, scribentem vidi. Ut nimirum, si quid ipsi forte humanitus in via evenire, thaberent liberi teneriores, à patre viduo, certum aliquod vitæ paternæ & maiorum monumentum: quo sese possent confirmare paternisque vestigijs eo peritius ac melius insistere. Quod scriptum postea à clarissimo jurisconsulto Doctore Paulo Merula, nunc magnifico Academiæ hujus Rectore, pro intima ac mutua erga D. Iunium amicitia, lectum & publico bono in lucem datum. Hac igitur mihi adempta propositæ materiæ parte, altera superest, nempe ut de morte illius, nobis tristissima, illi vero acceptissima ac felicissima, paucis, non ad gratiam aut pompam, sed ad ingenuæ veritatis normam, pro modulo nostro, disseramus. Interim vos etiam atque etiam rogo, auditores ornatissimi & humanissimi, ne orationem copiosam, disertam & elegantẽ exspectetis: sed ut brevem, tenuem & impolitam ingenij mei tenuitati, temporis angustiæ, & iusto dolori tribuentes, attentè bonaque cum venia audiatis.

Antequam verò de morte viri, doctrina & pietate toto orbe celeberrimi, verba faciam, paucis primùm mortis piorum felicitatem demonstrare conabor: ut perniciosam eorum, qui summum omnium mortalium malum & miseriam morte contineri arbitrantur, opinionem convellamus, & hac via beatissimam piè defuncti conditionem declaremus. Ne quis verò nos in ipso limine, durius impingere suspicetur, fatemur quidem mortem privationem esse vitæ, quæ in hominibus à peccato ducit originem, tanquam miserum illius ὀψώνιον & caducæ hujus vitæ

venenum : verumtamen exitioſa ejus vis adeo Chriſti morte devicta & oppreſſa eſt, ut pijs non amplius ſit venenum, ſed antidotum ſalutare: ut meritò ſapientis illud tragœdi dictũ habeat locum, τὸ γὰρ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον. Quis enim ignorat, malum nullum eſſe aliud, præter iniuſtitiam & aſſeclam illius pœnam? At pij, ut utroque in hac vita laborant, ita morte ſua ab utroque liberantur. Quoniam injuſtitia (quæ nihil eſt aliud, quam ἀνομία, qua id detrahitur, quod Deo, aut homini, Dei imagini, debetur) alia nobis innata eſt, alia ex ea enata. Illa à primis noſtris parentibus deriuata animoque inſita, in mentis tenebris & voluntatis affectuumque depravatione conſiſtit, & ita profundè ac pertinaciter inhæret, ut lerna omnium malorum & fœcunda miſeriæ humanæ genetrix non immeritò poſſit appellari. Adeo ut, licet nec originem, nec magnitndinem hujus innatæ iniuſtitiæ, viderit ſummus orator Iſocrates, ſapienter tamen & Philoſophis pleriſque ſanctius iudicarit, quum hanc naturæ noſtræ agnovit pravitatem & vix noſtra diligentia ſuperari poſſe aſſeruit. Ac quamvis pij, Spiritus Chriſti beneficio, in hac vita, correcta hac naturæ perverſitate, renati ſint; hærent tamen ad mortem uſque inſauſtæ & infeſtæ illius reliquiæ: ad exercitium humilitatis & ad certamen. Non ſecus atque olim Iſraëlitis, occupata Chananæa & ſuperatis hoſtibus, pars aliqua remanſit, qua erudirentur ad timorem Dei & ad pugnam. Hujus innatæ iniuſtitiæ & mali magnitudinem detegit ac demonſtrat apertiſſimè, quæ ex illa copioſè pullulat & enaſcitur, iniuſtitia. Hinc enim promanat primùm celebris illa affectum, contra rectam rationem, concertatio: ut videamus meliora & probemus, deteriora verò perſequamur. Hinc etiam ſecundo loco ſuccedit, tam rationis corruptæ, quàm affectuum, adſcitis etiam corporis inſtrumentis in ſubſidium & arma iniquitatis, adverſus Dei veritatem & voluntatem conflictus. Quo, ut impij omnino contra Deum cæci in perniciem ſuam præcipites ruunt: ita pij, cum gemitu, adverſus hydram hanc plus quàm centicipitem, Spiritu decertant. Victus eſt Dei re-

rumque divinarum contemptus? oritur de omnipotentia, iustitia, bonitate, & veritate illius dubitatio. Depressum hoc malum? exsurgit avaritia. Hæc sublata? succedit superbia & profusio: accedit voluptas. Retusa est adulatio? enascitur ira, odium, maledicendi libido, aliaque ejus generis vitia innumera. Adeo ut non frustra, vir alioqui sanctissimùs & divinas, hujus innatæ & enatæ iniustitiæ memor & pugnam illius cum Dei lege & Spiritu sentiens ac describens, exclamarit, *me miserum! quis me liberabit ex hoc corpore mortis?* Hæc gemina iniustitia efficit, ut vita hæc pijs non sit vitalis, & ut mortis, tam acerbæ infidelibus, cogitatio non mordeat; sed ad eam hilares, tanquam ad mali levamen & miseriarum portum, adspirent. Hac via iniustitia nostra conficitur, qua à Deo diffidemus: hac perficitur iustitia, qua ei similes evadimus. *Mors* enim (ut eleganter, de pijs loquens, ait Ambrosius) *finis est, non vitæ, sed culpæ.* Quis igitur piorum mortem miseram, ac non potuis felicem, existimet? Præsertim quoniam non solùm ab iniustitiæ, sed etiam ab illius pœnæ malo, nos immunes reddit. Nam, ut vitam ab ejulatu auspicamur, sic infinitis animi & corporis difficultatibus, morbis, cruciatibus, iniurijs, Sathanæ mundique insultibus, vitam perducimus: quibus, tanquam fluctibus crebris ac decumanis, pene obruimur. *Nemo* enim *est quem non attingat dolor: dicique beatus* (si hujus vitæ bona spectemus) *ante obitum nemo supremaque funera debet.* Unde celebres illæ priscorum sapientum derivatæ sunt sententiæ, *Homo bulla:* Vitam esse καπνοῦ, σκίαν: imo καπνοῦ σκίαν. *Optimum esse non nasci: proximum, natum mori.* Quod sanè de impijs longè verissimum: & de pijs, si hujus tantùm vitæ cancellis hominem definiamus. Verùm, quia, ab omnibus hisce malis, pij morte eximuntur, plenius ac sanctius, correcta hac sententia, dicimus, *Bonum nasci: melius piè vivere: optimum ita mori.* Non igitur mala est piorum mors, ut falsò impiorum vulgus opinatur; sed, ut cum sapiente vate dicam, *Bona mors est, quæ exstinguit vitæ mala.* Imo verò quæ ad perfectam felicitatem communis via: animæ primum, deinde corporis.

Quippe, ut *vitæ hujus principium mortis exordium est*, ut rectè Prosper monuit, ita mortis nostræ exordium vitæ melioris est principium. Nec enim quod vulgò fertur, *mors ultima linea rerum est. Sunt* profecto *aliquid manes, lethum non omnia finit, lucidaque evictos effugit umbra rogos.* Anima enim à corporis & peccati vinculis ac carceribus emissa, pura puta migrat ad auctorem suum & ad destinatam in cœlis vitam æternam. Vbi scientia, sine ignorantia: amor, sine fuco aut vitio: gaudia, sine dolore, sine fastidio, sine termino. Ad quorum præstantiam, nec sensuum vires, nec intellectus nostri acies pertingunt. Corpus verò morte tritum non interit, sed nudum, seminis nudi instar, terræ inditum quiescit; donec Spiritus vivifici efficacia, messis & reditus Christi tempore, immortale, glorioso illius corpori conforme, victa morte, suscitetur. Hoc evincit Dei iudicis universi & Servatoris nostri iustitia & gratia: hoc postulat & meretur Christi, capitis nostri, resurrectio & gloria: hoc denotat frequentissima somni & quietis cum morte, in sacris paginis, similitudo. Nec audimus hîc profanum illud hominis impuri iudicium, *Soles occidere & redire possunt nobis: at simul occidit brevis lux, nox est perpetua una dormienda*. Perpetua enim non est, quæ solis iustitiæ reditu & lucis vitæ immortalis restitutione discutitur. Rectè, ut omnia, Cyprianus, *Quis hîc anxietatis & solicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mæstus est, nisi cui spes & fides deest?* Facessat igitur impiorum sententia, qui mortem omnium, piorum etiam, miseram arbitrantur, & hominum felicitatem mortalis hujus vitæ terminis metiuntur & includunt. Felices contra, qui in hujus vitæ statione divinitus collocati, eam, donec à summo imperatore fuerint evocati, constanter tuentur, Spartamque, quam nacti sunt, pro virili adornant, & ad mortem, tanquam malorum omnium levamen, & beatæ immortalitatis viam, adspirant!

Qualis nobis omnibus exemplo conspicuo & illustri præiuit clarissimus & integerrimus Theologus, Academiæ hujus verè corculum & ocellus, doctor Franciscus Iunius. Qui nobili familia

milia natus, nihil pietate ac cognatione Dei nobilius, nihil ſacrarum literarũ ſtudio antiquius, nihil pia morte felicius, iudicauit. Teſtantur id, anteactæ vitæ honeſtiſſimæ rationes omnes luculentiſſimè: atteſtantur Eccleſiæ Belgicæ, Germanicæ, Gallicæ, quibus operam, cum ſummis difficultatibus & frequentiſſimis vitæ periculis, fideliſſimè impendit: ſummas eas opes arbitratus & honorem, ſi quàm latiſſimè regni Chriſti pomœria propagaret ac ſtabiliret. Novit id civitas Otterburgenſis, quæ Iunium ſuum οἰκιστὴν & coloniæ Leodienſium ductorem ac doctorem, imo paſtorem & parentem dilectiſſimum, agnoſcit. Qui, ne Eccleſiæ illi initio, ob exilium, pauperi eſſet gravis; nocturna opera & inſolito manuum opificio, quæ ad victum deerant, Pauli Apoſtoli exemplo, quæritavit ac ſupplevit. Bonis verò, quæ in Gallia ſuppreſſa erant temporum iniuria, tandem reſtitutis, & frugalitate ac diligentia re ſtabilita, eundem tamen erga Eccleſiam animum conſervavit. Quam fidem erga Chriſti gregem, ſi ego ſilentio præterirem, nunquam tamen ſilerent Brabanti, Flandri, Leodienſes, Palatini, Galli, Batavi, Zelandi, Vltrajectini, quos doctrina & conſilijs ſuis ſaluberrimis plurimum adiutavit. Loquerentur Angli, Poloni, Hungari, Tranſſylvani: loqueretur denique orbis Chriſtianus univerſus; quem voce, literis ac ſcriptis ſuis doctiſſimis indefeſſo ſtudio erudijt & inſtruxit. *De quibus* (quod de Cartagine prudenter ait Saluſtius) *Satius eſt ſilere, quàm pauca dicere.* Quidquid enim in medium protulero, illud nec rei præſtantiam, nec veſtræ memoriæ & conſcientiæ accurationem, aſſequetur.

Relicta igitur vitæ anteactæ mentione, ad καταστροφὴν & exitum, Iunio quidem optatum ac felicem, nobis verò luctuoſum, tranſeamus.

Nam, quid felicius eſſe poteſt homini Chriſtiano, quàm ut pia vita, ad piam migrationem, quocunque tandem caſu aut morbo, pertingat? *Omnibus* enim *eſt eadem lethi via, non tamen unus eſt vitæ cunctis exitiique modus.* Et ut varij varijs temporibus morbi graſſantur, notum eſt, proh dolor! quàm longè lateque

teque pestis contagio ubique serpat ac sæviat, quam improviso & vehementer quosvis invadat: qua Deus optimus maximus & impios ferit; ut iustè affligat: & pios exercet; ut aut corrigat, aut, punita mundi ingratitudine, malisque ingruentibus ereptos, ad meliorem vitam traducat. Ac vix quenquam ex indigenis aut incolis esse arbitror, quin iacturam aliquam ab hac contagione, in se, aut in suis sentiat: ita ut eorum temporum, quibus Cyprianus vixit, & multa piorum millia hac lue absumpta sunt, expressam comperiamus imaginem. Hoc etiam morbo, non mirum (quo & David & Ezechias olim fuerunt tacti) correpta prius, quàm fallacis hujus mali speciem senserit, honestissima matrona uxor Iunij charissima, quamquę ob pietatem, prudentiam, & in se ac suos amorem singularem, maximi semper fecit. Hinc *ut* ignota & *neglecta solent incendia sumere vires,* contagio morbi maritum prius invasit, quàm periculi magnitudinem satis cognosceret, & post biduum sub meridiem diei Octobris vigesimi, qui fuit Dominicus, tanquam cælestis Domini nutu & nuncio, ad Domini sui requien, clarius fuit invitatus. Sensit imperterritus clementem Domini manum, & ut constanter uxoris dilectissimæ morbum tulit, ita suum pertulit animi robore solito & invicto. Nam, ut civem ac vicinum honestissimum Fabianum & me, qui pro amore & officio eodem die invisi, prætermittam, norunt honorandi domini collegæ doctores Vorstius & Bontiũs, qui fidelẽ ei medicinam fecerunt, & qui Iunium eiusque conjugem eodem die invisit Clarissimus doctor Pauius. Quorum humanitatem ac fidem in adversis, ut grato animo ægrum prædicantem audivi & conjugem, ita præterire silentio, nec possum, nec debeo. Iuvat me etiam recordatio constantiæ illius, qua, quum meam συμπάθειαν illi, præsente Iohanne Casimiro filio, cognato meo charissimo, explicarem, sedato & leni vultu, *utile est* ait, *ut grato animo Dei patris ferulæ manum submittamus: videt ille & curat, quod nobis est salutare.* Altero die qui fuit Lunæ, morbus, qui pridie se bubone patefecerat, intus & foris ardore & languore acrius instare

 cœpit;

cœpit: adeo ut ægrum jam poſtratum, lecto fortius affixerit; ſed animum illius, fide & ſpei anchora fultum, non deiecit, nec imminuit; ſed (ut gubernatorem tempeſtas & militem acies probat) fortem & invictum demonſtravit. Noruntid domeſtici & alij, qui acceſſerunt. Nam mane & veſperi adeuntem me & concurrentem ſymmyſtam chariſſimum D. Trelcatium, morbi importunitas excluſit: unde una ad reverendum ſenem, & Eccleſiæ Paſtorem D. Thomam Spranchuſium (nunc quidē beatum in cælis, ſed tunc cum eodem morbo conflictantem) inviſendum, defleximus. Norunt (inquam) domeſtici & alij nonnulli, quanta tranquillitate, neglecta rerum terrenarum cura, ſeſe totum illo die compoſuerit ad vitam cæleſtem. Norunt, ut noſtrates ſileam, illius populares, juvenes ornatiſſimi, qui ex univerſa Gallia, fama & amore Iunij accenſi, frequentes in hanc Academiam, tanquam ad bonarum literarum mercatum, confluxerunt, & ut parentem alterum colentes, obſervantiam ac fidem ſuam conſolatione ac præſentia ſua comprobarunt. Nec tu quoque ea ignoras humaniſſime Iohannes Lati, qui & vivo & vita functo doctori Iunio, cum parentibus tuis honeſtiſſimis plurima grati erga bene meritum animi argumenta declaraſti. Porro die Martis gravius etiam morbo ſæviente laborare cœpit atque amplius affligi, luis vehementia omnem medicinæ opem pertinaciter reſpuente: attamen fortiſſimus noſter athleta, in hoc duro conflictu, non victus, ſed probatus, nullis uſus querimonijs aut motu, rupis inſtar indomitus, fractis morbi fluctibus, in Deo & Servatore ſuo adquievit. Nam quum ſub meridium ipſum ſalutarem & paucis conſolarer, reſpondit *ſe in Deo adquieſcere Deum quod eſſet ſalutare clementer perfecturum ad ſuam gloriam.* Sciebat enim aureum illud antiqui ac pij doctoris dictum eſſe veriſſimum, *Mortalitas iſta, ut Iudæis & Gentilibus & Chriſti hoſtibus peſtis eſt: ita Dei ſervis ſalutaris exceſſus eſt.* Sciebat, pro ſua ſapientia & pietate ſingulari, nihil eſſe ſtultius, nihil indignius, quàm, ad præmia cæleſtia, non obſequio voluntatis adcurrere; ſed neceſſitatis vinculo invitum trahi. Quamobrem

obrem eadem animi usus tranquillitate ac fidei constantia ad posterũ diem Mercurij in caloribus illis perduravit, morbo magis magisque invalescente. Aduersus quem insommis partim verbi divini gladio (quem ex sacro Psalmorum & primæ ad Corinthios epistolæ armario, per ornatissimum & fidelissimum juvenem Samuelem Riverium curavit depromi) partim pio precum ardore; quem manibus junctis, vultu ad cælum sublato & conjunctis suspirijs testatus est, tota illa nocte concertavit. Illud mihi tunc incommodi acciderat, quòd (quũ pridie diei Martis, intempesta nocte, rogatu conjugis illius afflictæ, ad eam, licet in fide & spe constantem, amplius sæviente morbo consolatione sublevandam, essem accitus) cogerer, nocturna cœli intemperie offensus, sumpta post modũ medicina, die Mercurij domi me continere. Ne tamen officio deessem, vocaui ad me, pro familiaritate nostra, D. Lucam Trelcatium ac rogaui, ut pro sua constantia ac benevolentia, meas apud Affinem graviter ægrotantem partes subiret & ultimum illud viro eximo optimeque de Gallica Ecclesia merito officium præstaret. Non gravatus annuit & ultro quoque eo propendens adijt; sed (partim, quòd æger quietis amans consolatoris fidelis ac pij adhuc præsentis sermonibus detineretur; partim, quòd & ille & conjunx hoc sedulo semper curarunt, ne non necessaria visitatione contagio serperet latius, præsertim in viros Ecclesiæ adeo necessarios) monitus est non esse opportunum. Hoc nuncio ad me perlato, officij conscientia & amore accensus, malui me cæli inclementis ac procellosi injurijs exponere, quàm ut summum virum & affinem optimè de me meritum, cognito periculo in extremo, desererem. Accessi igitur, & à filio intromissus, vacuum à salutantibus & vultu constanti præditum reperi; sed viribus prostratis. Monui non opus esse multis verbis, quòd scirem ipsum reconditum & instructissimum habere apud sese consolationum penu: inde, quæ alijs toties exposuerat, sibi apponeret, ijsque in adversis sese confirmaret. Meminisset se Deum habere propitum in cœlis patrem, Christum Servatorem, cœlum pa-

triam & hęreditatem, arrhabonē illius in corde Spiritū ſanctum, mortem ad cœlum & vitā immortalem viam. Hac fide, hac ſpe ſe ſuſtentaret. Ibi vir conſtantiſſimus reſpondit, *eorum quæ alios docuiſſet probè eſſe memorem & obſervantem: in Dei gratia ſe omnino adquieſcere: Deum quæ ipſi eſſent ſalutaria perfecturū.* Ita lubenter & ijſdem conſolationum capitibus, diverſis temporibus repetitis, ſeſe ad mortem imo ad vitam meliorem comparavit. Rogatus à me, num quid vellet de liberis aut alijs rebus ſignificare ac mandare? excepit, *ſe de rebus caducis eo tempore minimè cogitare. Unum tantùm velle monere, ſe ſua omnia ſtudia ad bonum publicum direxiſſe: videre laboraturam graviſſimè facultatem noſtram, officium facerem diligenter ac fideliter: & ſi in conſilium ab illuſtribus dominis Ordinibus aut dominis Curatoribus adhiberer, aut eos compellandi eſſet occaſio, ſincerè ac ſanctè judicium exponerem, ac rogarem, ut, ad maximam utilitatem & honorem Academiæ, facultati noſtræ & Academiæ proſpiceretur. Reliqua providentiæ divinæ committerem.* Ita ne in vitæ quidem termino, reipublicæ amantiſſimus, Academiæ curam abiecit. Ut meritò, ſi verum eſt illud Comici, τοῦτ᾽ ἐστὶ τὸ ζῆν οὐχ ἑαυτῷ ζῆν μόνον, Iunium, dum vixit, vere vixiſſe dici poſſit. Hiſce abſolutis & promiſſo officio, obſervantia erga majores & fide erga publicum, arrepta languente & jam frigida manu, mœſtus (quod venenum ad intima cordis penetralia ſe recipere perſentiſcerem) ac ſumpta medicina domum retractus, valedixi ſub meridiem. Paulo poſt ſpiritu bis terve leniter attracto, anno ætatis quinquageſimo ſeptimo animam placidiſſimè efflavit & in Dei, ad requiem ſuam æternam evocantis, manus lubens reddidit. Audiviſtis nobiliſſimi ampliſſimi, ornatiſſimi Auditores, nudam ac ſinceram obitus, Theologi veſtri præſtantiſſimi & viri optimi, hiſtoriam. Ex qua ſatis liquere arbitror, mortem illius eſſe ipſi feliciſſimam: quoniam pie vixit, & piè vitam mortalem ejuſque mala cum morte vitali & æternis bonis commutavit. Non illum jam pugna inter affectus & rationem, nec utriuſque cum lege Dei & Spiritu excruciat: nihil jam ignorantiæ, nihil iniquitatis habet, quod deploret: nihil

molestiæ à carne, mundo & mundi principe, quod sentiat: anima in paradisum & sanctum Dei sinum suscepta cum Christo capite ac sponso suo versatur, & scientia ac sanctitate perfectà Deum celebrans, summis æternisque gaudijs perfruitur. Vixit hactenus nobiscum, Deo & alijs potius quam sibi: nunc cum Christo, beatis Angelis & universa civitate cœlesti, vivit Deo & sibi, cursu consummato, fide servata, corona iustitiæ donatus in cœlis. Et ut ille vitæ huic mortali commodatus, non donatus erat ita corpus terræ non donatum, ut detineat, sed commodatum, ut tandem die vltimo, cum fœnore immortale & gloriosum Spiritus Christi potentia restituat, ut animæ redditum ac conjunctũ cum ea in æterna felicitate vivat ac perduret.

Quod reliquum est Iohannes Casimire Iuni, cognate amicissime, qui patri optimo ad finem usque vitæ adstitisti omniaque fidelissiimi filij officia præstitisti hæc meditans luctum tempera & constanter ut cœpisti, perfer quod corrigere est nefas, quodque patri salutare. Non illum amisisti, sed præmisisti: ille, migratione ex hac ærumnosa vita, cum triumphante Ecclesia versatur quietus in cælo: tu nobiscum in solo, imo in salo, tempestatibus varijs obnoxio, commoraris. Non illius causa atram vestem indue: qui jam albis Christo dante, indumentis, gaudij & gloriæ insignibus, est ornatus: sed tua, sed nostra, qui, Deo ingratitudinem nostram castigante discessu illius, tanto lumine & columine orbati sumus. Sed nihilominus Dei clementiæ confide. Mortalem non vides parentem oculis corporis? ne invide ei hanc felicitatem: vide potius oculis fidei parentem immortalem Deum, qui te videt ac curat & parenti tuo caducam hanc vitam commodarat. *Vita data est utenda, data est sine fœnore nobis mutua, nec certa persolüenda die.* Eam iuste ac lubens nunc persolvit: tu ne reposcas iniustè ac frustra. Adspira potius ad eandem felicitatem. Perge patris exemplo *ea discere in terris quorum scientia tibi profutura est in cælis:* ita pie vive ut, quum Deus te evocarit, eadem via & constantia ad cœlum conscendas. Sit tibi *vita, Christus: & mori, lucrum.* Interea tem-

poris me tibi totique familiæ, affinitatis vinculo, paternis meritis & ingenij tui morumque probitate, devinctissimum, existimato. Vos verò collegæ honorandi, eximij hujus viri, qui vos amavit, plus quàm sese; quem ad officia vobis præstanda semper promptissimum estis experti, memoriam colite & in liberis amate ac fovete. Vos etiam amplissimi hujus urbis consules ac senatores, insignis hujus Theologi, qui Academiam & civitatem Leydensem sui nominis & scriptorum celebritate & institutionis doctrina ac diligentia singulari, amplificavit plurimum, qui auditores ad pietatem ac probitatem inflammare nunquam destitit, quique munificentiam vestram & favoris vestri erga se declarationem prolixè ante morbum suum prædicavit, hujus (inquam) memoriæ favere pergite & (ut cygnea quasi cantione ac cautione rogatos etiam vos voluit) laboranti facultati nostræ, ex usu & honore maximo Academiæ, consulite & Iunij familiam humanitate vestra sublevate. Quod ut omnino mihi persuadeo, ita ad vos me converto, ornatissima nobilissimorum & doctissimorum auditorum corona, qui præceptorem præstantissimum, monitorem saluberrimum, & patronum fidelissimum amisistis, piæ illius memoriæ & liberis favete & Iunij virtutes cum in vita tum in morte, tanquam speculum vobis proponite: ut eadem pietatis via ad astra & cœli regiam enitentes, emenso mortalis hujus vitæ curriculo, eo tandem pertingatis. Hic summus honor est, quem & à vobis postulavit vivus, & ei debetis mortuo. Omnes denique Iunium, Elisæi, ad Eliam in cælum migrantem, verbis, agnoscamus nobis, eximia sua eruditione, pietate, diligentia (quibus Ecclesiam & veritatem adversus vitiorum & errorum catervas propugnavit) verè fuisse quasi communem quendam *parentem, currus Israëlis & equites illius*. Ac Deum precemur, ut nostri misertus, illustrium dominorum Ordinum & amplissimorum dominorum Curatorum & amplissimi Magistratus Leydensis consilia dirigat, ut nostræ facultati, duobus suis luminibus, Iunio & Trelcatio, orbatæ, ita consulant, ut doctissimus Theologis conquisitis instruatur Academia: quo

progressu

progressu temporis ex ea, multi possint, Deo dante, prodire, qui si non duplam (ut Elisæus cupivit & obtinuit) Spiritus habeant Iunij & Trelcatij, eorum tamen vestigijs insistentes pro virili imitentur. Deum etiam postremò supplices oremus, ut difficillimis hisce temporibus Illustrissimum Principem Mauritium, Ordines illustrissimos, nobilissimos & amplissimos dominos Curatores, amplissimum hujus urbis Magistratum, magnificum Academiæ Rectorem & Professores, Ecclesiam & Academiam regionemque universam, tueatur ac conservet. Dixi.



FRANCISCI GOMARI
In Obitum
D. FRANCISCI IUNII
Theologi eximij, ductoris ac doctoris in Academia & Ecclesia Leydensi præstantissimi,

ELEGIA.

CVR ita continuis Phœbeæ lampadis ignes
Nubibus & Phœbes lumina tecta latent?
Cur ita perpetuis cœli inclementia nimbis
Horret, & insolitum crebra procella furit?
Scilicet, in cœlum meliori parte receptos,
Luxurians Batavo corpore terra tegit,
Terra tegit nostri Phœbum Phœbenque Lycæi:
IunI, TrelcatI, *corpora condit humus.*

Nos

Nos miseros! gemino sublato lumine, gressus
Quis regat? in tenebris quis modo monstret iter?
Viderat, & nostram sortem miseratus Olympus
Flevit, & assiduis ora rigavit aquis.
Et quia mortales tenebras mage luce probarunt,
Nec placuit flatus lenior aura sacri:
Coelitus altitonans, iram testatus acerbam,
Æolij solvit claustra tremenda specus.
Parce Deus! meritas iræ depone procellas,
Tincta tui gnati sanguine corda lavans.
Vos, quorum imperium nostris dominatur Athenis,
Et premitis Batavi sceptra benigna soli:
Vos, quorum sapiens oculus curaque paterna
Invigilat nostris nocte dieque bonis:
Ferte citi auxilium, vestris virtutibus aptum,
Curantes fida vulnera nostra manu.
Et qui viventis redamastis commoda Iunî,
Pignora propenso pectore suscipite.

Nec fonte labra prolui caballino, nec in bicipiti somniasse Parnasso memini, ut repente sic poëta prodirem: nec inter poëtas nomen profiteor meum. Spero tamen benignos mihi fore quos natura & ars ad poësin conformarunt, si (quod indignatio interdum facit) mihi officium & amor versus hosce impolitos expresserint. Agnoscent igitur animum &, si, tanquam anser inter olores, semipaganum quid concinam, pro sua humanitate ignoscent & offensionem reliquam, sequentium lacrymarum suavitate, diluent.

Lacrymæ
ACADEMIÆ LEYDENSIS,

In Obitum

D. FRANCISCI IUNII,

Theologi eximij, ductoris & doctoris, in Academia & Ecclesia Leydensi, præstantissimi.

SANCTISSIMIS

Incomparabilis Optumique Viri,

Doctoris FRANCISCI IUNII,

Primarij

in Academia Lugdunensi

SS. THEOLOGIÆ

Professoris,

Manibus Mœstissimus Fundebat

Mœstos Iambos

PAVLLVS G. F. P. N. MERVLA

ejusdem Academiæ Rector

L. M.

ERGONE semper lacrumosis inmori
Mœroribus, Nobis futurum proprij
Instar Peculi? Ergone Luctus pristino
Nobis recurret indies atrocior?
Ergone Nostros cruditus Animos diu
Conduplicata lancinabunt Funera?
Heu, heu: Querelis tempus æternum manet.
FVERE, plangebamus anno, BONTIVS
Et HEVRNIVS: horno plangimus, TRELCATIVS
FVIT, FVITQVE IVNIVS: Chrysostomo
TRELCATIVSque IVNIVSque compares;
Nostrique seculi Galenus BONTIVS;
Alterque nuper Æsculapius, HEURNIVS.
Quod ultimum in Nos Morta vulnus edidit,

(An

(An quod Reliquis recentius?) ſævißimum
Sanè fuiſſe maximumque ſenſimus.
De IVNIO ſermo 'ſt Mihi; de IVNIO,
Quem Morte raptum voce lugent flebili,
In Belgica Sedes quibus 'ſt, Eccleſiæ,
Promtiſſumus quîs Conſus in DubIs fuit
Semper: Gemunt quem contuentes, Stamine
Rupto, jacere, Gallia & Germania:
Quemque expediſſe, quod ſuperat Nobis Iter
Senſim exſequendum, Europa ſuſpirat; tamen
Ipſi nec-invidens Suam, ſed gratulans,
Felicitatem, Parca quam, haud parcè, attulit:
Quo voce conclamato ab omnibus ultima,
Academia, ſignis arculis ſua prævidens
Diſpendia, claris tota lamentis ſonat,
Ab ore docto docta quæ non amplius
Oracula 'ſt lectura: pro Dolor gravis!
Spes parva, tantum poſſe leniri Malum.
Exempla monſtrant magna, ſub Polo Nihil
Perenne, nilque ſtare firmum: volvitur
Curſu citato vita, perpetuarier
Ignara, nilque quam Peregrinatio.
Mortalibus Mors omnibus grandi gradu
Feſtinat. ô Felicem Animam, quoi vinculis
Quamdiu hic ligata, Lux, Fides, Dux, amovens
Mentis Tenebras, CHRISTVS; & Carcer, Caro:
Sed hoc ſolutæ Ergaſtulo quoi Patria,

Cœlum; Triumphus quoique post Pugnam brevem
Paratus æviternus ab magno Deo.
Post Fata ter Nobis Beatus is cluit;
Quoi quidquid inceptarit, adsuit Suus
Iudex, Devs; Quoi pura conscientia.
Testis potens; Quoique adstitit Mundus senex,
Spectator; æstuausque Quoi Livor, jugis
Fuit Comes. Sed quid! Levamen in Malis
Lene, eruditus quod supersit IngenI
Thesaurus excelsi, nec omne demserit
Quidquid Tuum, Iuni, vel acri mors impetu
Obliviosis obruerit Silentijs.
Exemte, Iuni, Rebus hnmanis, vale;
Transvecte supra Fornices cœli, vale,
Veraque macte Gloria, Iuni, vale.
Dolore fractus, unicum quod effici
Pote 'st mihi, fundo, horridos licet, tamen
Versus amicis irrigatos Fletibus;
Superstiti quæ danda fuerat, Gratiam
Sero redandruans Sito, sed serio;
Solvensque, quæ fas, Iusta Denicalia.

Illustris & omnigena eruditione excellentißimi viri

D. IOSEPHI SCALIGERI,

ejusdem argumenti carmen.

IVNI, *quem modo literis potentem,*
Pleni Gymnasij frequente cœtu,
Cingebat docilis corona pubis
Docto pendula differentis ore:
At nunc, o series iniqua rerum,
Tactus sidere pestilentis auræ
Sol pallentibus occidis tenebris!
Te mœrens Schola flet suum Magistrum,
Orba Ecclesia te suum parentem,
Doctorem gemit orbis universus.
Flent flent, non uti vulgus imperitus,
Quem morbus docet ipse, quid valere est,
Quanti est filius, orbitate discit,
Qui nec denique quid potitus olim est,
Sed quid perdiderit, solet putare.
In te longe alia est vicißitudo:

Nec quantus fueris, carendo discit,
Qui vivi meritum æstimavit olim.
Et nunc conscia publicæ querelæ
Postquam tristia te tulere fata,
Et clarum jubar abstulere Mundo,
Nos quid perdidimus, quid & dolendum est,
Non scimus magis, at magis dolemus.

Duabus horis post mediam noctem in lectulo.

HEV quæ vicissitudo res mortalium
Reciprocatis versat æstibus rotans:
Elatus est nuperrime TRELCATIVS,
Batavicæ ille magna portio Scholæ,
Verbi sacrati Doctor & præco optimus,
Summis & imis æquè amatus omnibus,
Magno relicto desiderio sui.
Honore quem dignatus extremo, fuit
Oratione prosecutus funebri
Amicus & collega conjunctissimus
FRANCISCVS ille, flos Lycei, IVNIVS.
At nunc acerba fata, fata lurida
Heu IVNIVM addidere & ipsum Pluribus.
Ergo occidit prælustre sidus Gallicæ,
Magno haud secundus Biturix Vezelio;

E 3 cujus

E cujus ore & lectionibus ſacris
E cujus ore & concionibus ſacris
Pubes Batava & extera Leydicæ Scholæ
Imbuta puriore cultu eſt Numinis:
Cujus labore inſomnibuſque noctibus
Accenſa ſacris ſplendida fax eſt literis.
Nunc aureum illud IVNII os mutum tacet,
Nunc aureus ille IVNII ſtilus jacet.
Batauaque ingens vulnus accepit Schola.
O dira fata, & aſperæ rerum vices!
En, IVNIVS TRELCATIVM qui planxerat
Nunc a GOMARO affine caro plangitur,
Pulſatque cor grauis audientium dolor,
Queis tot periere in vno IVNIO bona.
Sed quid juuant lamenta, quid querimoniæ?
Sic ille ſummus arbiter vitæ Deus
Decrevit; huic obmurmuraviſſe eſt nefas.
Orandus ille ſupplice eſt nobis prece,
Miti ut malagmate vulnus iſtud leniat;
Ille inuocatus defuit vnquam nemini.
At te, GOMARE, qui rei Theologicæ
Nunc omne, ut Atlas, ſuſtines humeris onus,
Academiæ diu ſoſpitem ſeruet Deus,
Nec fata te niſi æui ſaturum huic auferant.

BON. VVLCANIVS M. P.

P. BERTII
ad CL. V. D. FRANCISCVM IVNIVM morientem alloquutio.

ERGO hinc abibis! ah pater, pater, pater!
Ah currus Israëlis! ah equitum manus!
Quid hinc ad altas transuolas cæli domos,
Orbemque nostrum anhelus vltrò deseris,
Orbem inuenustum, negligentem numinis,
Suique amantem & prodigum tamen sui?
Qui falsa veris miscet, & nocti diem,
Oblivionis obtegitque supparo
Quæ publicari jussit ille Maximus,
Ille Orbis autor, ille regnator poli.
Subsiste paullum, nosque consili tui
Linguæque doctæ, doctioris dexteræ
Artisque egenos, adiuva; subsiste dum.
Ergo hinc abibis? ah pater, pater, pater!
Ah currus Israëlis? ah equitum manus!

In Obitum

In Obitum
Clarissimi & Reverendi Viri
D.D. FRANCISCI IUNII
S.S. Theologiæ Doctoris & Professoris in Illustriss. Lugduno-Batava Academia dignissimi.

„ AMISSA poscunt lachrymas: præsentium
„ Secura rerum turba, mortales, sumus,
„ Ingrata Vivis, æstimatrix funerum.
„ Hinc cum supremus instat exactor Deus
„ Foresque pulsat, evocatque, condimus
„ Anile mœstis carmen ejulatibus.
„ Hic ordo vitæ est: quælibet Sic sors perit,
„ Placetque sero, quidquid ereptum nocet.
Viator asta: Victor ille Romulæ
Gentis pavorque, Septimontij metus
Denatus illo conditur sub marmore.
Illum Batavus nominis tanti memor
Fidele pignus servat, atque orbem docet
Fovere vivos, Lachrymare conditos.
Nunc ille noster præpete evectus gradu
Cognata cernit sydera, & mundum novum
Mundum citatis igneum flammæ notis.
Quem nec Batava puppis, Indorum sali
Superba victrix, hospes aut vagus poli
Ales secundo permeavit remige.
Nos triste munus, lachrymæque perpetes,
Fraterque nigræ mortis exercet dolor,
Donec vocamur, parque nos jubet dies
Fatale magno reddere expensum Deo.
Gemas Viator: lachrymas urbs te rogat:
Gemas Viator: causa nos duplex premit:
LEIDÆ SEPVLCHRVM, IUNII BVSTVM VIDES

DANIEL HEINSIVS.

HVGONIS GROTII.

QVANQVAM *nec veteris Mausoli saxa, nec audax*
Pyramidum Pharius surgit in astra labor,
Hoc tumulo plus Rege jacet: tam nobile marmor
Eöæ quondam non habuistis opes.
Ille diù toti nomen venerabile Terræ
IVNIVS, *ex totâ mortuus illud habet:*
Non qui Tarquinios Tarpeiâ depulit Arce;
Non qui Cæsareo sanguine tinxit humum:
Mitius ingenium fuit huic, cuï candida virtus,
Cuî placuit sanctæ Pacis amica quies.
Sed tamen hunc etiam Romæ metuêre Tyranni:
Hoc quoque Libertas vindice tuta fuit.
Ille triumphato toties errore quadrigis
Invectus tenuit Relligionis iter.
Victa Superstitio divinæ præmia laurus,
Et Pietas illo præside læta dedit.
Orba parente domus, pubes studiosa Magistro,
Quòd dolet, & lachrymat, ne putet esse suum.
Privati non sunt in tanto funere questus:
Humani generis publica cura perît.
Collachryment gentes, & fletus fletibus Orbis
Misceat: ad cunctos pertinet ille dolor.
Gallia ut ereptum dignè lachrymaret alumnum,
Contulit huc undas ipse Garumna suas.
Hospitis exsequiæ tristem traxêre Lemannum,
Cuî Rhodanus sociâ sponte cucurrit aqua.
Nec tantùm tenui lachrymat Germania Nicro,
Contentúsque suo gurgite Mosa fuit;
In Rhenum fluxêre simul, quem maxima luctus
Damna tenent ipsâ proximitate mali;
Atque utinam posset Cattorum littore rupto
In pelagus lachrymas exonerare suas.

Impendit totam vicina Britannia Tethyn,
Sarmaticæq; procul tabuit unda nivis.
Pegaseos efflet ploratrix Musa liquores,
Orpheo quondam funere mæsta minùs.
Sufficiunt amnes? an Cælo poscimus imbrem?
Nîl nimis est, & plus imputat ille Polo.
Hunc meritò Lethe meminisses ipsa dolorem,
Et sua Mors stygijs crimina fieret aquis.

In Obitum
Nobilis. ac præstantissimi
Theologi
Francisci Iunii.

QVOD si nuncaliquis planctûs corradat in vnum
Quos habet hic præsens Orbis & alter habet:
Attamen exuperet noster: Proh tristia FATA!
Exequias magno lux parat ista viro.
Ite mei Cives; lachrymis diducite pectus:
Curriteque effusis antè sepulcra comis.
Nempè ille, ah, nempè, ah, discessit IVNIVS, ille,
O BATAVI, vestrum qui iubar unus erat.
O tristes casus, ô lamentabile FATVM,
Numinaque ô, nostris invidiosa bonis:
Ah quantas nobis lachrymas gemitusque cietis?
Non satis ad luctus una ruina fuit?
Vixdùm compositus gelidâ TRELCATIVS urnâ
Ardet in extructo corpus inane rogo:
IVNI etiam cineres nos inspectare iubetis,
Lectaque purpureis ossa fouere rosis.

Quæ'nam iſta invidia eſt? quæ mens tàm barbara ſuâſit
Hunc rapere, & tanto nos ſpoliare viro?
Quæ'nam iſtæ, ô Superi, vibrati fulminis alæ,
Queîs SACRA penè ſolo corruit icta DOMVS?
Certè homines, docti ſua gaudia rapta queruntur,
LEIDAque præconem non habet orba ſuum.
PORRO Municipes, multùm amiſiſtis in uno;
Quis negat? aut quis non tam manifeſta videt?
Hic poterat gravitate omnes, vitæque tenore
Ducere, iam noſtrâ factus in urbe ſenex.
Hic poterat doctos, ut cœperat, edere libros;
Myſticaqne æterni pandere SACRA Dei.
CARPOCRATASque ipſos peſſum dare, multaque tanta;
Quæ mea præ nimio Muſa dolore tacet.
Quod reliquum eſt, ſuperanda gravis iactura ferendo eſt:
Nec SVPREMA poteſt ire redire DIES.
Sit ſatis evulſos donaſſe in funere crines,
Oſculaque arſuro ſumma dediſſe thoro.
Sit ſatis & magnâ MANES ter voce vocaſſe,
Et populum raſis indoluiſſe genis.
Quid quòd & hic non ſit lachrymarum flumine tanto
Flendus, ab exceſſu cuî nova vita venit.
IVNIVS ille, inquam, devictâ morte triumphat,
Et propiùs ſummo gaudet adeſſe Deo.
Vnum hoc, quod noſtros poſſit lenire dolores,
Atque animi tantas tollere dividias.

Quas ſanè ego non paucas in iſto pectuſculo meo ſentio,
qui has
LACHRYMAS,
Deſiderÿ teſtes, ſtatim ab ipſo funere
mærens fundebam
P. S.

V. CL.
FRANCISCO IUNIO
Epitaphium.

IVNIVS ergo abijt, *Batauæ lux aurea gentis;*
Et quem vix orbis, nunc breuis vrna capit?
Quis lamenta mihi dictet, quis flebile Carmen;
ATROPOS, *inque tuum non bona vota caput?*
Siccine tam sancto tollis de vertice crinem;
Diáque, queîs poteras parcere, fila secas?
En, facinus pullato ECCLESIA *luget amictu,*
Et sua GYMNASIVM *nobile damna gemit.*
Et plorat PIETAS, *& sparsos scissa capillos*
Persoluit cineri tristia justa pio.
Sertáque dat lacrymis VIRTVS *manantia, mittit*
Inferias tumuli in vertice cana FIDES.
Sic tamen æterno decurrunt ordine fata,
Vertitur arbitrio sors sua cuique Dei.
Illáque adhuc ratio est animum quæ temperet ægrum:
Debuit hoc cælo, quod dedit, ipse suo.

IOANNES MEVRSIVS.



CHRONOSTICHA.

I.

Ter ſeptena DIes *oCtobrIs bInaqVe ſ*VL*get:*

FranCIſCVs qVanDo (heV!) IVnIVs oCCVbVIt.

II.

Hora ſonat DVoDena*, eſt* LVX VICenaqVe *trIna*

O C*tobrIs : peſte* V*t* IV*nI*V*s hICCe IaCet.*

III.

CL*ar*V*s obIVIt VbI FranCIſCVs IVnIVs* ILL*e:*

Dena bIs oCtobrIs trInaqVe VIſa DIes.

P. à GISB.



COMPLAINTE
ſur le rrepas de
MONSIEVR DV-ION,
Docteur & Profeſſeur de l'Academie de
LEYDEN.

ANnée à nos malheurs dés Ianvier conjurée,
Année qui ravis, du monde le plus beau,
Par deux morts tu rendis l'Vranie navrée,
Mais, helas! à ce coup tu la mets au tombeau.
En Ianvier tu taris ce torrent d'Eloquence,
TOUSSAIN, de qui la voix s'eſlevoit juſqu'aux cieux;
Et en Aouſt tu ſechas ceſte mer de ſcience,
TRELCAT conſolateur & preſcheur gracieux.
Mais en Octobre, helas! tu ravis en une heure
Le torrent de bien dire, & la mer de ſçavoir,
L'Oracle, que le ciel, que tout le monde pleure:
DU-ION l'incomparable, & des bons le miroir.
France marque de noir ceſte dure journée,
Alemagne à ce coup prens hardiment le dueil,
Holande avec le ſac pleure ta deſtinée:
Voſtre dernier Soleil eſt mis ſous le cercueil.
O mort, cruelle mort, à nos malheurs hardie!
Oſes-tu bien fermer ceſte bouche de miel,
Ceſte langue, ce cœur, ce temple d'Vranie?
Tu nous ravis, cruelle, & l'Eden & le ciel.

L'Eden qui dans LEYDEN se faisoit voir n'aguiere,
Par ce triste deluge est ores emporté:
Le ciel qui du Seigneur, nous donnoit la lumiere
Par ce nuage espais nous est du tout osté.
Adieu la fleur de lis, l'ornement de ce monde,
TOUSSAIN, TRELCAT, DU-ION, sont du monde cueillis,
Dieu trin-un veut ces trois; aussi la terre ronde
Ne meritoit d'avoir un si riche & beau lis.

Sonet.

France prodigue en prets, en pertes malheureuse,
Reçoy de tes delais un regret douloureux:
Avoir le fruit du tien tu ne peux quand tu veux;
Ne voulant quand tu peux: qui refuse apres muse.

Cherche par l'Univers ta bague precieuse,
Or' au ciel, or' en terre, elle est en tous les deux;
Il ne reste aux vivans que son nom precieux:
Sans doute Dieu reprent le bien dont tost on n'use.

Depuis que DU-IOUN *fut à l'Holande presté,*
Vn chascun vid par trop ton malheur apresté;
Il n'est plus grand malheur que soublier soy mesme.

Or' apren à ton dam de bienfaire aux voisins,
Voyant le pouure estât de tes filz orphelins:
Nul ne doit pour autruy nuire aux enfans qu'il aime.

PHILIPPE DV-PIN.

LARMES

A la memoire & regrets Funebres sur la mort de Noble, Tres docte & tres reuerend.

FRANÇOIS DV-ION.

Docteur & Professeur en Theologie en L'Vniuersité de Leiden.

ODE.

LE Ciel la Mer & la Terre
Font la guerre
A tout ce grand vnivers:
Dieu, armé d'ire & de foudre
De sa poudre
En veut engrossir les airs.

Il voit, las! que ses menaces
Ni ses graces
Ne nous font penser a nous:
Que plus d'une amour extreme
Il nous aime
Nous provocons son courroux.

Il le fist asses paroistre
Ce doux Maistre,
Privant son petit troupe au
De sa brillante chandelle
Claire & belle
Q'uont les Cieux & le tombeau.

Mais maintenant sa cholere
Peu severe
Regardant a nos forfaits:
Vient chastier nos malices
De supplices
Qui dureront a jamais.

Il a nostre seul Apolle
En son pole
Retiré a ceste fois:
Et Diane a nostre vie
Porte envie
Ne veut plus garder ses loix.

Nous serons donc en tenebres
Trop funebres
Et ne verrons plus le jour!
Ouy, car l'ornement du Monde
Et de l'onde
DV ION, las! a fait son tour.

Il esclaire aux champs d'Elise
Et l'Eglise
Vit en eternelles nuits.
Il cueuilt maintenant les roses
Qu'ontescloses
Ses travaux & ses ennuits.

Pleure donc toute l'Europe
Et la trope
De Calliope & ses sœurs:
L'aschéz des torrens da larmes
Foibles armes
Plaignez au moins vos malheurs.

Que

Que vos plaintes continues
Iusqu'aux nues
Volent plus viste que dards:
Celui dautant se soulage
Qui sa rage
Raconte de toutes parts.

Et si vous ne pouvez plaindre
Et espraindre
Des larmes ni des regrets:
Le Ciel tout fasché en pleure
A ceste heure
Et ne tient les siens secrets.

Quoi que le Ciel te devance,
Chere France
Tu ne le permettras pas:
Plustost, plustost il desbonde
Sa grand bonde
Et t'envoie au froid trespas.

Facent Flandre & les Almagnes
A ses Manes
Tant de regrets qu'ils voudront:
Pour moi te scai que ma vie
Est finie
Et que mes pleurs la noieront.

Las comment pourrois-je vivre
Et ne suivre
Ce beau Souleil radieux!
Il est meilleur pour ceste heure
Que je meure
Que vivre icy langoureux.

A lui mesme

Sonet.

Bien qu'on puisse Vanter l'honneur de la bruyere,
Du thim, du serpolet & du genest amer:
Qu'on puisse aussi parler d'une claire Riuiere
Qu'on peut passer a gué sans crainte d'abysmer:

On ne peut des hauts pins ni de Thetis la fiere
On craint vn rude saut; ou les golfes de mer:
Ainsi du Ion *fournit tant & tant de matiere,*
Qu'on ne peut pas pour lui dignement s'animer.

Thetis embrasse tout sous la machine ronde:
Ce beau soleil du Ion *esclaire a tout le monde*
Ses escrits lui servants de cent mille flambeaux

Qui pourroit donc chanter vne telle personne
Ou l'entomber icy dessous vne coulonne
Quand l'Vnivers lui sert d'escrits & de tombeaux?

Quatrain.

Si les pourtraits de Timante & d'Apelle.
Ont r'animé les morts malgré le sort
Du Ion sans eux nous fuit voir la pareille
Il vit de mesme en despit de la mort.

R. I. *de* Nerée.

EPITHAPHE

De Noble, tres-Docte, & tres-Reverend

Mr. DV ION

Docteur & Professeur en Theologie en la celebre Academie de Leyden.

VOyageurs, qui voules voir le Phœnix vnique.
Et qui pour cet effect vagues par l'Vniuers.
Ne coures, ne coures vers la terre Arabique,
Et n'alles plus errans per terres & par mers.
Il n'y à de Phœnix en ceste terre ronde:
Que c'il qui gist ici, dessoubs ce noir tumbeau:
C'est le docte du Ion, *qui de la terre & l'onde*
Estoit seul admiré, comme vn Phœnix nouueau.

Nul

Nul oyseau ne se trouue au Phœnix comparable;
Il vit vnique & seul dessoubs le firmamant:
Du ION *qui gist icy, n'auoit point de semblable;*
Et estoit sans pareil, tant il estoit sçauant.
Le Phœnix ne paroist, qu'es deserts Arabiques:
Et se faict renommer par tout le pole rond,
Du ION *ne paroissoit, qu'es terres Hollandiques,*
Mais ses doctes escripts à tous monstrent son frond.
En tout, par tout, & tout il estoit comparable,
A l'vnique Phœnix: hor-mis las en ce point!
Des cendres du Phœnix il renaist vn semblable,
Mais d'esgal à du ION *il n'en renaistra point.*

DE COIGNEE.

FIN.



